

de te sentiam quantum de ullo et gravissimo et eloquentissimo viro sentiri potest. in cuius rei opinione falli non possum solus, universo orbe^(a) itidem et sentiente et predicante. de reliquo autem, etsi verum existimet quisquis me non modo huius preclarissimi artificii sed et cuiusvis bone artis ignarum putat, non tamen adeo hebes ingenio sum ut non norim, quod est apud Flaccum, « quid distent era lupinis »⁽¹⁾. ne abstineas igitur propter hoc neque te a scribendo retrahas; oratio enim tua, qualiscunque fuerit, ceteris grata est^(b), michi gratissima. eam, queso, crebro communica; adicies semper aliquid, certus sum, quod et gravitate prosit et amenitate delectet.

Sententiam autem tuam, quid per 'aliud agentes' in sua prima epistola intellexerit Seneca⁽²⁾, tam verissimam iudico quam falsissimum id quod de illorum turba te dicis. quomodo enim existimandus est ille vel nichil vel male vel aliud agere, qui nichil nisi quod bonum et sapientem virum deceat agit aut cogitat, cui nichil nisi virtus et sapientie studium in pretio^(c) est? ea propter, id michi de te persuadere non possum quod scribis cum vulgo vulgariter vivere: nam non facile accipio modestissimos mores tuos, omnem virtutis dignitatem pre se ferentes, vilissime vulgi turbe permisceri aut ab ulla parte labefactari potuisse. verum ita existimo te sic vulgo^(d) convenire ut sola facies exteriorque habitus secundum preceptum Senece⁽³⁾ similis sit, in reliquis autem omnino disparitas. quod ut ita de me fiat omni studio enitor^(e) et sedulo facio, ut e opinionibus vulgi integer emergam. hortor itaque summo opere et te et me ut, si quid in nobis vulgus partis habet^(f), abiciamus protinus iugum et liberemus nos hoc blando servitio, nilque nisi philosophiam et virtutem sapere studia nostra permit-

Vien poi a trattare un passo oscuro di Seneca, nella prima epistola a Lucilio, e si dichiara d'accordo con l'interpretazione che l'amico ha data;

non ammette però che l'amico sia fra coloro dal filosofo biasimati.

(a) P universo mecum orbe (b) P corr. ceteris si grata (c) B in precium
(d) B, come sembra, te sic et vulgo (e) B enitar (f) P om. habet

(1) HOR. *Epist.* I, VII, 23.

(2) SEN. *Epist. ad Luc.* I, 1. Il medesimo passo, già interpretato dal Petrarca e più tardi commentato dal Barzizza, forma l'argomento di due epistole del Salutati, nella seconda

delle quali, indirizzata ad Antonio da Scarperia verso il 1398, egli ne svolge il significato con una trattazione assai larga (cf. NOVATI, *Epistolario* cit., I, p. 63 sgg.; III, 239 sgg.).

(3) SEN. *Epist. ad Luc.* V, 3.